34-6-E-8-
/23
11
59

EMINENT.MO ET REV.MO PRINCIPI

LAVRENTIO

S. R. E.

CARDINALI

MAGALOTTO.

BIBLIOTECA NAZ.

IACOBVS SIGNORINVS F.

ASPEXISTI (Eminentiſs. Princeps) in ipſa huius paginę fronte tuo nomini famulos cæleſtes ignes Luminis, Vmbræq. commercio Tua ſtemmata compingentes . Adeò Tibi arriſit obtutibus indulgere noſtris, vt vmbra lumen delinires Tuum: quod ſine vmbra arceret aciem ſuſpicientium populorum . Ad hanc vmbram, ad hanc lucem Tuam mea prodit oratio. mea, dixi, cum quid-

Digitized by Google

quid iudicari pro meo poſsit, ipſo iuris præiudicio ſit Tuum. Ad vmbram venit, vt tuta ſit; ad lucem, vt beata. Nec timet ſui noctem in vmbra, quæ eſt luci cognata; nec de mendicitate reprehenſionem in luce; quia diſplicere Tibi non poteſt, quod placuit IVONI. Et quidem cum ille, quem linguam ignis eſſe contendimus, huc etiam ſtuduiſſe videatur, vt igneum ardorem Vmbra linguæ temperaret: quod Tu præ tuis geris inſignibus, præ ſe ipſe tuliſſe monſtrauit. Accipe igitur qualecumque munuſculum hoc in Vmbram, in lucem illam Tuam, qua me, qua tuos omnes, qua ipſum orbem terrarum es complexus. Accipe, vt accipiendo, des beneficium, quod dando accepiſſe Te putas. Vale.

Digitized by Google

 63

ORATIO.

IVONEM in Britannia minore inter homines natum ſi exemero de hominum numero, & compoſitum Deo Deum penè renunciauero, cuiquam abſurdè forſitan videbor facere (Eminentiſsimi Principes.) Verum cum nihil admodùm ſit tam diuinum [a], quam arbitrum vitæ, mortiſque ſedere diſceptantem: at Iuris antiſtes Iuo conſederit. cum inopes ſoſpitare, patrocinari ærumnoſis, beare miſeros [b] laudatio ſit Numinis propria: at Iuo lenimentum inopiæ, delicium arumnarum, beatitas penè fuerit miſerorum. cum denique afflatus, & imbutus numine, diuinitatis hoſpitio in Deum [c] abeat vnuſquiſque Sanctorum: at Iuo virtutum omnium conſpiratione, ſanctitatis regno floruerit, quidni illum, ſin minus Deum, Deo ſimillimum prædicemus? Quoniam verò concordiſſima illa diuini Monas imperij in beatiſsimum [d] Triumuiratum (vt ita dixerim) ſine diuiſione ſe diuidit, & in ea parte orationi meæ laborandum non eſt, in qua ſocietatem Iuonianæ laudis quiſpiam affectet: innoxium illum Deitatis ardorem, benignitatis Numen Amabile, ſanctiſſimum diuini ſpiritum oris, quantùm homini licuit, Iuonem expreſsiſſe comprobabo. Cum enim ambo inopum Paracletus, & [e] Pater pauperum audiant, mirum quantùm ſe inuicem reddant. Nempè ſicut doctiſsimi viri [f] de duarum ſacramento naturarum docuerunt. Proprio cuiuſque ſortis communicato commercio Deum mortuum, & Hominem dici immortalem: itá ſimili quodam modo irrorati de Cœlo Amoris hypoſtaſis perfudit adeò, &

[a] *Deuteron. 1. c. 16. & 17. Ariſtophan. in Veſpis.*
[b] *Ariſt. epiſt. 3. ad Philipp.*
[c] *S. Baſilius homil. de Spiritu ſancto.*
[d] *Cornelius à Lapide in Præfat. ad Iſaiam.*
[e] *In hymno de Spiritu ſancto.*
[f] *Fr. Suarez in 3. partem q. 16. ar. 1.*

Digitized by Google

ſecum vnà conflauit Iuonem, vt quadam Idiomatum communione permiſti, illuſus alter altero videretur.

Et quandò inacceſſus ille amoris arcani ſplendor terrarum orbi cognitus ſemel ſub linguæ flammantis imagi-
Ia Apoſt. 1. ne[a], quaſi propinquiùs ſe dignoſcendum indicauit: Iuonem noſtrum linguam, eamque igneam fuiſſe commonſtremus. Intereà dum pro te dico (Iuo ſanctiſsime) rogo te, ne mendicitatem dedigneris orationis meæ: quia decet pro pauperum Aduocato paupertatem ipſam, quantulamcunque poteſt, laudationem afferre, eò futuram tibi gratiorem, quò fuerit ad ingenium tuum ſua mendicitate formoſior. Iam verò, vt indè nobis oboriatur oratio, vndè Iuoni in lucem nondùm edito pri-
opert. l. 4. 7. ma ſunt orta decorum monumenta: dextrane[b] porta, an potius digreſſum Cœlo putatis benè ominatum aduolitaſſe Somnium, quo Matri viſus eſt Iuo ex vtero in portentoſam Gigantis molem accreſcere? Cenſetin' ex illo
ud Io. Pier. l li. 33. cap. Iuonem inter Gallos natum, quos ad eloquentiam naſci[c] Tacitus poſuit, Gallicanum[d] illum Herculem ſe fore com-
ucian. de rcule Gal-. monſtraſſe, qui ſuadæ linguæ catenatam illecebra concionem duceret plaudentium populorum? Intuemini deinceps illum in auram hanc noſtram hominum bono demiſſum, iam Aureliæ, iam Lutetiæ, iam in Britannia ſuam in litteris operam tàm feliciter, tàm pertinaciter colloca-
ı Pyth. ntem: an ea vobis videtur iam lingua procudi, quam[e] Pindarus ad incudem ſabricatam, veritatis, doctrinæq. pro-
ic. de Diuin. 'lato in Cõu. digium nominarat? an potiùs ea, quæ[f] plectrum eſſet amoris[g] muſicam docentis, vel flabellum eiuſdem in ſubiectos hominum ſinus incumbentis? Intuemini illum tàm accuratè, tàm prudenter iuris monumenta tracta-
.Bernardin. .1. de Pent. ntem; eàne vobis lingua cenſetur,[h] quæ dirimendis ſaporibus arbitra de noxio, de ſalubri diſceptat? Nouerat nimirum Iuo, veteres illos legum inſtitutores, quorum ſci-

ta rogabat, fuiſſe chriſtianæ pietatis exleges, & [a] Minöen ab antro Iouis, Zaleucum à Minerua, Lycurgum à Pythio, [b] ab Egeria Numam traditas ſibi leges præſtitiſſe. Nouerat [c] Iuſtinianum aſſertorem legum ſalutatum, Sapientiæ inferiorem hemicyclum ne à limine quidem ſalutaſſe. [d] Tribonianum verò cenſorem illum æquitatis, omnis religionis iniquiſsimum præbuiſſe contemptorem. Igitur non erudiendus Iuo, ſed dijudicaturus acceſsit, & [e] quæ ſiuè Romani Principis authoritati detraherent, ſiuè moribus Chriſtianis officerent, ea diſpicere, deuitare, corrigere etiam cœpit. Itaque quadripartitum ius omne ciuitatis animo, ingenioque complexus. externa iura, duodecim decreta tabularum, Longobardorum præterea leges, & Leonis hexabiblum ita dimenſus eſt, vt Canonici, diuinique iuris accedente Lydia pluſquam regula, omnia ad Eccleſiæ, ad [f] ſacratas ſcilicet leges, ad duarum oracula tabularum remetiri videretur. Ne verò legum modò contentus anguſtia pertenui, inops eſſet lingua planè elinguis, acutus ſcilicet, vt ait ille, [g] actionum præco, formularum cantor, ſyllabarum anceps: quam verborum copiam, quem ſententiarum ornatum ſibi comparauit? Tanti nempè fuerat illam efformari linguam, quæ [h] non Mercurij ſacris intruſa præconem inſigniret, ſed quæ Numini iurata fouendis pauperum rationibus diuinæ [i] Sapientiæ diceret cauſſam. Et verò lingua, vel hoc vno, ſit Iuo, quod clientela pauperum, quæ nullo auri vegetata patrocinio [k] in iudicijs obmuteſcit, diſerta iam in Iuone, occœpit tandem proloqui lingua ſua. vt meritò quod [l] Proclus de hominum parente profeſſus eſt, Mundi linguam illum euaſiſſe, in Iuone exaggeratum fateatur, qui non iam Mundi, ſed Cæli, quod eſt [m] ſub pauperum ditione, extiterit lingua. Ad extremum intuemini Iuonem de Patrono iam iudicem cauſſarum, cu-

[a] *Theodoretus l.9. de legib.*

[b] *Liu.l.1.dec.1.*

[c] *Baron. in annal. tom.7. an. 528.*

[d] *Suidas in voce* Τριβωνιανὸς.

[e] *Ant. Poſſeu lib.12.c.10. in biblioth.*

[f] *Cic. pro domo ſua.*

[g] *Cic. de Or.*

[h] *Natalis Com. lib.1.cap.10.*

[i] *Gregor. Naz. orat.16.*

[k] *Iſidorus Paluſ. lib.2. ep 277.*

[l] *Proclus Arch. Cõſtant. or.2. de incarn.*

[m] *Matth.6.*

Digitized by Google

cuius profectò eſt munus linguam eſſe Reipublicæ, [a] quæ quidquid mens ſentit legum, exprimat dirimendo. at, per Deum immortalem, quem Iudicem egit Iuo? quid primum ſuſpiciendum obtulit, quidue poſtremum? admirandam in faciundis arbitrijs diligentiam? an potiùs pietatem? an ſapientiam? aliud ex alio me impedit. Ille quadruplatorum impoſturas dignoſcere, reuocare ad trutinam delata ſectorum, verboſos rabulas commonere, pararios prudenter admittere, cum ſatis non liqueret, comperendinare, cum cauſſa cunctando periclitaretur, antecapere, Iuſtos dies indulgere perhumaniter, vadari etiam ipſe ſæpiſsimè. verùm vbi in dubiam res iret aleam ſiuè deportationis, ſiuè bonorum publicationis, ſiuè capitis ſupplicij: tùm verò deliberabundus abire totus in ſeſe, ſecum ipſe contendere, repetere ſæpius animo illud [b] Benignius eſt nocentem abſoluere. cum denique Reipublicæ bono ex tabula pronunciandum eſſet in impios: de numella, de fidicula, de reſte: conſcriptam cadente ſæpius manu mulctam obliterare identidem lacrymis, ſuſpirio ſtilum obtundere, oſtendere demum incorruptum animum ſola pietate ſubornari poſſe.

Nunc iam quoniam de Iuoniana pietate incidit ſermo, & ipſe Iuo de foro vbi fuerat lingua, deflexit in adyta Templorum, [c] vbi cum ignis eſſet, ſeruari debuerat, & quidem vna diuinitatis [d] elate nutriendus, Iuonem linguæ ignem addidiſſe, contendamus. Nam ea iam ab ineunte mundo omnium gentium firmata conſenſu adoleuit opinio, [e] ignem quiddam eſſe diuinum. Quod adeò [f] Magi Perſarum imbiberant, vt in eam, quam perennem alebant flammam deſpicientes, rerum inibi euenta futurarum introſpicere ſeſe, perſuaſum haberent. Democritus verò, [g] atque Stoici peritiſsimi mortalium habiti Deum eſſe vel in igne mentem, vel ex igne conſtantem

[a] *Lyſias orat. 2. in Alcibiadem.*

[b] *l. abſentem, ff. de pœnis.*

[c] *Virg. 2. Aeneid.*

[d] *Plut. in opere* περὶ τοῦ ἐν Δέλφοις.

[e] *Max. Tyr. ſerm. 38.*

[f] *Agathias l. 2. hiſt.*

[g] *Cyrillus lib. 2. contra Iulian.*

tem

tem perhibebant. [a] & ſanè ignem imaginem eſſe Deitatis diuina oracula prodiderunt: ipſum denique Sanctiſsimi Amoris Numen [b] in ſpeciem ignis innotuit. Quid igitur? noſter Iuo, quem proximè ad vim huius numinis natura mortali retulimus acceſsiſſe, hunc ignem beatiſsimum non expreſsit? enimuerò dùm Iuonem aſpicio per Gallias hac, illac curſitantem, diſsitorum interualla locorum deuorantem, ſemotiſsimos inter ſe pagos celeriter obeuntem, diuerſa penitùs regna magnis itineribus coniungentem, illic rudes homines ad cæleſtem normam informantem, hic vegetantem ope deſtitutos, illic abſterrentem Numinis perduelles, hìc ſceleretabidos expiantem, denique Lutetiam, Aureliam, Britanniam omnem vitali ardore permiſcentem: illum ignem videre mihi videor, [c] qui ſua de regione perpetuo ſe rotat anfractu; immò illum, qui de cælo in Apoſtolos fuſus totum Terrarum orbē auſpicatiſsimis flammis incendit. Et verò cæleſtis, atque diuinus ignis erat Iuo. qui ſuffocari ſeſe in anguſtiam lutei corporis non ſuſtinebat. Quorſum ille tanta tenuitate, tanta aſperitate victus collimabat? quid horrifica Zona? quid catena altis infixa lateribus? quid inuicta aduerſorum tolerantia? quid pertinaci ſecundorum fuga? quid ſomno precibus interciſo, quid vigiliarum ſtudio, quid mutata in culcitrā humo, quid adhibito ad ceruical ſaxo ſpectabat? niſi vt corporeæ molis effractis obijcibus, quando ignis erat, aperto cælo iam ſuo potiretur. Quamquam dum animo repeto totum Iuonianæ inter homines moræ curriculum, cœleſtem illū vitam egiſſe pronuncio. nempè ipſius eſt ignis humiliora faſtidire, ſublimiora ſequi, [d] aſcenſuq. continenti flammarum è Terræ communione recedere. Quoties Iuo à contagione corporis abalienatus diſceſsit à ſeſe? quoties preces in multam noctem prorogauit? quoties diſsimulatis ſuæ conditionis incommodis, nulla potione, cibatu nullo dies, no-

ctesq.

[a] *Deuter.* 4. 24.

[b] *Act. Apoſt.*

[c] *Marſil. Ficinus in Comment. ad Plotinum Ennead.* 2. *l.* 2. *c.* 1.

[d] *P. Creſollius in Myſtag. l.* 3. *ſect.* 3.

ctesq. integras deuorauit. Prætereo libenter, quia ſuſpici, quia prædicari omnino non poteſt, Iuonem octo dierum interiecto ſpatio ſeuocatum à corpore, mortalitatis exlegem, intromiſſum Cœlo, Amabilis ignis, diuina regione, innocuis niſibus peruolaſſe. Vbi nunc[a] eſtis mihi Demoſthenæa facundia? vbi Tulliana eloquentia? vbi Atticæ copia? vbi Latij facultas? iam huc vos velim experiri: deficeretis vtique: nam inuentum eſt aliquid, quod omnino non poſſetis pro dignitate laudare. Sed quid ego in ampliſsimum laudum Iuonianarum campum ingredior? quem finem inueniet oratio ſpatij immenſitate perdenda? iam video quàm dedeceat, & ſublimia humiliter dicere, & magna tractare tenuiter, & immenſa metiri breuiſsimè, ſumma demum aliqua, cum ſumma ſint omnia, decerpere. iam diſco ſilentio prætereunda, quæ dicendo circumſcribi non poſſunt. Miretur igitur vel etiam laudet quiſquis ſe poſſe confidit, mentem illam penè diuinam à corporis communione toties abſtractam, iteratas cum cœleſtibus congreſsiones, diuinarum rerũ vſum, Numinis ipſius non modo conſpectum impertitum, ſed familiaritatem planè Conuiuam. prædicet demum vitam Iuoni peractam Cœlo dignam, cœleſtiq. debitam igni. quidni enim permittatur elementorum regi contermina cœlo ſedes excelſior, quando etiam Iuo hanc regiam ignis prærogatiuam impleuit? Quotus verò quiſq; mortaliũ ignorat ignem ipſum allapſum capiti[b] regale fuiſſe præſagium? Hic mihi illæſus[c] Aſcanij vertex; [d] & ex apice Martij emicans flamma, & [e] de Tullij crine fuſum oſtentum, [f] veſpertinæ quoque retorridarum frontium hiſtoriæ, fuerint commenta Poetarum. illud modò probabitur, quod de Iuonis coma cœleſtis flamma portendit. Operabatur ad aram arcanis olim ſacris Iuo: & maiore humanis obtutibus vultu à ſe ipſo diſtractus, extentis manibus fortunatã frugem attrectabat: potenti deinde, & pe-

[a] *Ex D. Hier. tom. 1. ep. 48. ad Sabinianũ.*

[b] *Plutarchus de fortuna Romanorum.*

[c] *Virgil. in 2. Aeneid.*

[d] *Liuius l. 25.*

[e] *Id l. 1. dec. 1.*

[f] *Plinius li. 2. cap. 27.*

Digitized by Google

& penitiore ſermone cœlo obſequentem euocabat Deum: cum ecce tibi, dum Epulare iam Numen adorandũ extollit, prolapſus è Cœlo ignis Iuonianum caput cum ingenti circumſtantium admiratione populorũ lambit, & blandiùs, auguſtiùsq. faſtigat. Quid? an Iuo degenerare iam cœperat in ignem, abiturus in Cœlum; an Numen Iuonis pulchra facinora regali illo igne coronabat? vtrũque profectò. Nam Iuo ex vna parte regnum iam nactus, ex illo, ius dicere Mundo cœpit. & Lemures ad arbitratum palantes exigere, & morbis imperitare, & dicto incendia reſtinguere, & nutu exundantem aquarum alluuiem compeſcere, & caritatem annonæ corrigere, & vnico pane plurimorũ famem explere, regnare demum in aula pauperum, quorum eſt in Cœlo regnare. ex altera vero parte terrena tamdiù repagula moleſta ſibi non patiens, ſtationi ſuæ inexpletum inhiabat. Verùm age iam Iuo in Cœlum concede, quà ignis: & forum ingredere, quà lingua, vbi perores hominum cauſſam. abeas iam licet: modo lingua dum ſis, ſanctiſsimam illam Amoris flãmam, in noſtris pectoribus refrigeſcente charitate, ſemiſopitam euentiles. Abeas: modo ignis dum ſis, reuoces rurſum terris beatam illam ambuſtionem animorum. matura conſcenſionem tuam: iam appetit dies ille, quo pluuij in ignem Amoris exſcenſio in memoriã redit. Abi: non veremur iam, ne dediſcas exſcendere, quòd ignis euaſeris. ab illo igne Numinis diſces ſuper capita noſtra defluere, vt quos patrocinio foues, conſerues incendio. Perfeciſti illud lingua, hoc Igne conſummabis.

DIXI.

ROMÆ, Apud Franciſcum Caballum. M.DC.XXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google